

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Johannis Quistorpii, S.S. Theol. D. Pastoris ac Professoris ... Academia Rostochiensi, Quo Ad Exequias Quas Matronae ... Annae Hermans/ Viri ... Dn. Johannis Wedigen/ Civis & Zythepsae primarii Viduae Relictae Filii moestissimi, hodie hora prima paratas cupiunt Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos peramanter invitat : P. P. Rostochii die VI. Martii Anno M. DC. LIV.**

Rostochi[i]: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771234058>

Druck Freier  Zugang



**Qvistorp, J.,**  
**in A. Herman,**  
uxor. J. Wedig.  
**Rost. 1654.**

46.







PROGRAMMA  
RECTORIS

JOHANNIS QVISTORPII,

S.S. Theol. D. Pastoris ac Professoris

in Ecclesiâ & Academiâ  
Rostochiensis,

Quò  
Ad Exequias  
Quas



*Matrone honestissima, venerabilis  
senectute conspicua*

ANNÆ GERHARDI

*Viri olim integerrimi ac spectatissimi*

DN. JOHANNIS WEDZGENI

Civis & Zythepsæ primarii


VIDUÆ RELICTÆ

Filii mœstissimi, hodiè horâ primâ para-  
ras cupiunt

OMNES OMNIUM ORDINUM CIVES ACA-  
DEMICOS peramanter invitat

P. P. ROSTOCHII. die VI. Martii

ANNO M. DC. LIV.



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILL, Academia Typographis

**AUGUSTINUS.**  
**Volumus pervenire ad re-**  
**gnum DEI; sed per mortem**  
**nolumus.**

RECTOR  
JOHANNES QUISTORPIUS,  
Theol. D. Prof. & Past. in Eccles.  
& Acad. Rostochiensis.

**S**I qui unquam, certè senio confecti, jamq; capulares mortales, magnâ animi voluptate mortem excipiunt. Ille etenim; ( ut *Gorgias Orator*, ætate obductus mortiquè vicinus senserat ) *ut ex pueri & diffuente domunculâ*, lubentissimè abeunt ; Illi, ubi tot curas, tot molestias, tot calamitates, in hocce mundi freto, per longam annorum Seriem, exantlarunt; cum summo prolubio, in ipsâ senectute, velut, in continuis expetito votis portu discedunt. *Sine dolore est in senectute mors*, ( inquit Aristoteles lib. de respir. ) *nulla enim violentia ipsius passione contingente moriuntur; sed insensibilis animæ absolutio fit omninò*. Plato quaquè Sapientissimus in *Timæo*, mortem; quæ senio paulatim deducente, naturaliter obtingit, *inter omnia mortis*



genera leuissimam esse, & cum voluptate potius, quam cum dolore euenire affirmat. Et me hercule! Soli senes sunt qui & cariosâ vetustate attriti, & tot mundi hujus malis, tot morbis, tot infortuniis defatigati, mortem, tanquam miseriarum omnium finem, extremamq; malorum horam, tanquam immortalitatis exordium, vitæq; sempiternæ natalem animitus complectuntur. Etenim cur remotioribus id ipsum confirmare Exemplis uellemus? cum jam recentissimum ob oculos nobis obversetur. Videlicet. Matrona honoratissima decrepitâ fermè ætate veneranda ANNA Hermans / piè defuncti JOHANNIS Wedigen / relicta uidua. Quæ ex Eximiis ac verè Christianis progenita Majoribus, Anno præteriti seculi 1570. die 6. Martii in uivis agere incepit. Patrem habuit Virum Amplissimum, Prudentissimum Dn. NICOLAUM Heerman / Senatorem hujus Reipublicæ optimè meritum. Matrem habuit ELISABETHAM Fresen. Matronam laudatissimam. Avum habuit Virum Amplissimum & Spectatissimum Dn. CASPARUM Fresen / etiam Reipublicæ hujus Senatorem, virtute prudentiæ præstantissimum. Aviam habuit CATHARINAM Wafen. Ex illâ vetustissimâ familia, nomen suum, longâ annorum ferie, ad posteritatem, transmittentem. Hi erant Præstantissimi, ac optimi defunctæ ANNÆ Majores, hi parentes. Quorum piissimâ curâ; inprimis, per lavacrum regenerationis Ecclesiæ CHRISTI inserta; postmodum, in timore cultuq; DEI ab ipsis educata, accrescentis ætatis annos, non in turpi collocavit ocio, sed in earum exercitiis virtutum; quæ

quæ puellam, tam probis & integerrimis natâ paren-  
tibus, redderent omnibus bonis amabilem. Cum ve-  
rò, ad illam pertingeret ætatem; quâ jugū Conjugale,  
vatiis plenum plerumq; ærumnis, fortunæq; vicif-  
situdinibus perferre posset; concitaverat in honestū  
castumq; sui amorem, Virum tunc Juvenem, morum  
integritate conspicuum DN. JOHANNEM Webi-  
gen/Civem & Cerevisiarium hujus urbis primarium.  
Cum quò, in conjugali fide & societate Viginti  
Octo annos, svavissimè transegit; ipsiquè, ( nè  
summa illa thoro sociali deesset felicitas, quæ in-  
prolis adeptione consistit ) octo liberos, 4. nempè  
filias, & 4. filios peperit. Quorum sex crudelis  
Parca, è rebus mortalium præmaturè extraxit;  
duos verò ultimos filios, nempè JOHAN-  
NEM, Senatorem hujus loci meritissimum,  
& ALBERTUM Civem primarium, Divina  
benignitas, adhuc in vivis superstites ac incolu-  
mes clementissimè conservat. Anno 1614. ami-  
sit dilectissimum suum Maritum, prænominatum  
JOHANNEM Webigen. Qui æternæ beatita-  
tis tunc particeps factus, post se, tum liberis, tum  
ipfi svavissimæ uxori viduæ, pectus moeroris ac  
lachrymarum plenum reliquit. Quod illa suo in-  
cludens pectori, non capessivit secunda nuptia-  
lia vota, Deoq; sic consciscente, in ærumnoso  
Viduitatis statu, quadraginta & unum annos,  
rariori sanè exemplo traduxit, & tam diu cum  
fortunæ violentiâ, partim Divini auxilii fiducia,  
partim prudentia; velut magnanima, ad ipsam

mortem mulier, masculè decertavit. Quod vitam ejus concernit; Omnium virtutum principium & finem pietatem DEO debitam coluit; Verbum Divinum sacrasquè Conciones, uti jucundissima animæ pabula nunquam neglexit. Afflictis DEI membris, nempe pauperibus, non solum misericors pectus, sed etiam manum beneficam, præsentemquè opem præbere consuevit. Talibus tantisquè condecorata Virtutibus, Valetudine corporis inculpatà fruebatur, plerisque vitæ suæ prolixæ annis. Verum die 19. Februarij. Anni hujus 1654. cum pectoris morbo & tussi conflictari cœpit, & tantam mox virium imbecillitatem persensit, ut non aliud, hæc infirmitates animadverteret, quàm antambulones illius venturi hospitis, qui cum in procinctu est, occasionem diu deliberandi non indulget. Quare protinus mentem flexit ad magnam illam mundi mentem, & per devotam peccatorum confessionem, ut & Sacratissimi Corporis & Sangvinis CHRISTI JESU sumptionem, Pl Reverendi & Clarissimi Viri Dn. NICOLAI RIDE MANNI, S. S. Theologiæ Licentiati, Diaconi ad Divam Mariam Vigilantissimi, Amici & affinis nostri dilectissimi, ministerio, Subsequenti die Solis, nempe die 26. Februarii DEO Optimo Maximo reconciliata, atquè conjuncta; non reformidavit mortem velut veri boni auspiciam; cum ineffabili animi hilaritate, eandem, ut salutis portum, ut quietis aram, ut

ab

ab omnibus calamitatibus sublevamen, acceptavit; & præteritâ die Martis, tempore vespertino, quasi placidissimo sopita somno, concretum hoc atq; mortale corpus reliquit; postquam fermè Octuaginta & quinque annos, in hisce terris complevisset. Et sanè lubentissimè exoptavit, in tam grandævâ ætate legem mortalitatis explere; æmulata nautas, qui in vastissimo diutius detenti pelago, nihil ardentioribus sollicitant votis, nisi ut quàm citissimè, ad portum, appellere suam navem possint; æmulata viatores, qui prolixissimâ molestissimaquè defatigati ac planè enervati viâ, nihil magis expetunt; quam ut patriam dulcissimam conspicerent, in illaq; jucundissimè vivere quantocius valeant. Hujus verò Matronæ honoratissimæ animus, absq; dæbio liberum adeptus cœlum, in sempiternam illam evolavit vitam, in quâ jam sempiternâ voluptate gaudens cum ipsâ æternitate conjungitur. Verum Exuvie corporis ejus, telluri relictæ; Hodiè, horâ primâ, in templo Mariano, Christianò, decentiq; ritu sepelientur, ut nempe placidissimè usq; ad magnam illum diem quiescant, quò summus vivorum & mortuorum Judex, illas, cum animâ, in antiquam Societatem, iterum coire jubebit. Quas, Vos. Omnes & Singuli Cives Academiæ, frequentes, (amicè & amantè invito) comitemini, extremumq; hoc honoris & favoris officium, tam vitæ honestæ, tam ætatis provectæ Matronæ præstare. Facite id, quæso, in gratiam moestissimorum Matronæ hujus piissimæ

simæ filiorum ; quorum unus Senatorem hujus Rei-  
publicæ meritisimum, alter vero Civem optimum  
& integerrimum agit ; & quorum uterq; Ordini no-  
stro Literario impensius favet ; Lenire non dedig-  
nemini, ultimò hoc charitatis Christianæ obsequio,  
tanquam fortissimo solatio, utriusq; ingentem mœ-  
rorem, quo jam uterq; dulcissimæ suæ matris occa-  
sum prosequitur. Deniq; Vobis ipsis, si non tantam  
dierum longitudinem, quæ tamen inter maxima  
Dei beneficia, jure meritò numeratur, tunc tam fe-  
licem, tam pium, ex hac calamitosâ vitâ secessum,  
cordicitus vovete. Adextremum. Mortem & ipsi  
propriam meditemini. *Stat enim terminus nobis* (ut  
Seneca inquit) *ubi illum inexorabilis fati, vel satius Di-*  
*vinis decreti ; necessitas fixit : sed nemo scit nostrum quàm*  
*propè versetur.* Ita vivite, ut ultimam quamq; lucem,  
tanquam non redituram consumatis ; Efficite Vo-  
bis mortem, continuâ cogitatione familiarem, ut si  
quando venerit, possitis illi vel obviam exire ; edo-  
cti à Cypriano lib. 4. ep. 2. *Qui, non dignum esse in mor-*  
*te accipere solatium, existimavit, qui se non cogitavit esse*  
*mortiturum.* P.P. Rostochii sub Sigillo Aca-  
demie die 6. Martii A. D. 1654.

*Conventus fiet, hora prima, in Aede  
Sacra Marianâ.*













ab omnibus calamitatibus sub  
vit; & præteritâ die Martis  
no, quasi placidissimo sopit  
tum hoc atq; mortale corpus  
fermè Octuaginta & quinqu  
terris complevisset. Et san  
ptavit, in tam grandævâ ætate  
explere; æmulata nautas, qui  
tius detenti pelago, nihil ar  
tant votis, nisi ut quàm citis  
appellere suam navem possin  
res, qui prolixissimâ molesti  
ac planè enervati viâ, nihil ma  
ut patriam dulcissimam conspic  
dissimè vivere quantocius vale  
Matronæ honoratissimæ anim  
berum adeptus coelum, in sempit  
vit vitam, in quâ jam sempiternâ  
cum ipsâ æternitate conjugitu  
corporis ejus, telluri relicta; H  
in templo Mariano, Christiano,  
lientur, ut nempe placidissime u  
lum diem quiescant, quò summe  
tuorum Judex, illas, cum animâ, i  
tatem, iterum coire jubebit. Qua  
Singuli Cives Academiæ, frequ  
manter invito) comitemini, ex  
noris & favoris officium, tam vic  
tatis provectæ Matronæ præstat  
so, in gratiam moestissimorum M

accepta  
vesper  
concre  
ostquam  
n hisce  
mè exo  
rtalitati  
mo diu  
sollici  
oportun  
viato  
efatigati  
nt;quam  
jucun  
as verò  
abio li  
evola  
gaudens  
Exuvie  
primâ,  
tu sepe  
nam il  
& mor  
Socie  
nnes &  
cè & a  
nocho  
tam æ  
l, quæ  
as piis  
simæ

